

In diesem Bande fehlen die Schriften Nr 39-41.

21. Sep. 1955.

Suchier.

Nr. 60.2.

DISSERTATIO
THEOLOGICA PRACTICA *2*
DE *49*
MODO LOQUENDI
AD COR, *2. ep. XL. 2.*

QUAM
JUVANTE DEO,
RECTORE UNIVERSITATIS
MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

JO. CAROLO LUDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DUCE BAVARIÆ,
COMITE VELDENTIÆ ET SPONHEMII,
rel. rel.

PRÆSIDE
CHRISTOPH. FRIDERICO
SARTORIO,

S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO
ORDINARIO, ILLUSTRIS SEMINARIJ THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,
FACULTATIS THEOLOGICÆ h. t. DECANO,

A. D. NOVEMB. MDCCLVI. *62.*

DEFENDET

RESPONDENS,
THEOPHILUS FRIDERICUS MACHTOLFF,
SULZFELDENSIS,
SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ CULTOR.

TUBINGÆ, TYPIS SCHRAMMIANIS.

DISSERTATIO
THEOLOGICA PRACTICA
DE
MODO LOQUENDI
A D. COR. 5

Q. A. M.
IUVANTE DEC.
RECTORE UNIVERSITATIS
MAIORI GENISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
D. N. R. S. M. O.
JO. CAROLO LUDOVICO
COMITE PALATINO RHENO, DUCI BAVARIE,
AC OMNIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
P. R. A. S. I. E.
CHRISTOPHO FRIDERICO
SARATORIO
SARATORIO DOCTORIBUS, PROFESSORIBUS PUBLICIS
AC THEOLOGICIS, IUSTITIAARIIS THEOLOGICIS, AC FACULTATIBUS
SARATORIO THEOLOGICIS, SACRAN-
TIIS, A. D. NOMINE MDCCCLVI
DEPONENT
RESPONDENS
THEOPHILUS FRIDERICUS MACHTOLTER
SARATORIO THEOLOGICIS
SARATORIO THEOLOGICIS
THEOPHILUS FRIDERICUS MACHTOLTER





§. I.



Thema nostrum *de ratione dicendi ad cor hominis*, cujus tractationem **CLAR. DN. RESPONDENS** a nobis expetiit, formatum est ex formula Scripturaria, quæ occurrit in illustri illo loco *Esaïæ c. XL, 2.* ubi vates Sanctus ita: *Consolamini, consolamini populum meum inquit DEUS vester. LOQUIMINI AD COR Hierosolymæ, & acclamate ei, impletam esse militiam ipsius, expiatam esse ejus iniquitatem, accepisse a manu Domini duplum in omnibus peccatis suis.* Promissio hæc magnifica proprie pertinet ad Regnum Messæ, quale fuit sub initium Novi Testamenti. Hoc solide probarunt Interpretes, quos inter ad Doctissimum **VITRINGAM** in *Commentario ad b. l.* provocamus compendii causa. Hinc verba illa: *loquimini ad cor Hierosolymæ*, proxime & immediate spectant ad primos illos insignes **N. T. Doctores, Johannem Baptistam, Christum Dominum, & Apostolos**; sed ira, ut mediate pertineant etiam

etiam ad omnes Doctores Ecclesiæ fequentium temporum: id quod præter argumenta dogmatica Institutionem Ministerii Ecclesiastici Divinam probantia, etiam ex eo patet, quod ea, quæ hic dici iubentur ad cor Hierosolymæ, sint talis doctrina, cujus præconium nunquam in Ecclesia cessare aut intermitteri debet. Dignum igitur consideratione nostra tum illud est, *quid sit* loqui ad cor, tum illud alterum, *quis sit modus* ad cor loquendi. Atque in his duobus versabitur nostra tractatio.

§. II. Vocabulum *Cordis* in Sacra Scriptura frequentissime occurrit, & animum humanum cum suis facultatibus videtur significare. Sed ex longe plurimis Prædicatis, quæ Cordi tribuuntur in Sacris, si inter se conferantur, satis patet, non adeo facilem esse veram illius notionem, quam quidem videatur primo adspectu, maxime si admirabilis illius in loquendo proprietatis, quam ubique Sacra Scriptura sequitur, rationem ita, ut decet, velimus habere. Tribuitur sane cordi, quicquid inclinationum, cogitationum, volitionum in nobis est, quicquid dictorum & factorum a nobis proficiscitur. Describitur ut sedes quorumvis habituum pravorum, & maxime ipsius Peccati Originalis. Multa est Scriptura in significanda cordis relatione ad res divinas ac Spirituales, tum prout ab iis plane abalienarum, tum prout ad eas cognoscendas & fruendas revocandum est, ubi tanquam subjectum proprium operationum Gratia universalium describitur. Est igitur Cor tale quid, quod habet & activitatem & passivitatem prope immensam, usque adeo, ut DEVS ipse in fidelium corde habitare dicatur. Quoniam autem prædicata illa, quæ cordi tribuuntur, in eo conveniunt, ut maxime recondita in animo humano innuant; manebimus tantisper in eo, ut per cor intelligamus *intima animi*. Igitur cum cordi tribuitur prædicatum quodcumque, id sic intelligo, nihil esse in animo cui non idem prædicatum tribui possit: exempli causa, cum cor huic illi rei adhærere
aut

aut eam desiderare dicitur, nihil esse in animo, quod non eo feratur. Quo posito *loqui ad cor* significabit, quantum hæc phrasis ex voce *cordis* intelligibilis est, ita loqui, ut *inrima animi* afficiantur, sive ut nihil sit in animo, quin & ipsum afficiatur, aut certe illius affectionis effectus in id redundant.

§. III. Sed attendemus porro ad *usum totius phrasedis* in Scriptura Sacra; nam in ea sæpius occurrit, & locorum diverforum inter se collatio aliquid sine dubio lucis dabit. Schemus *ad cor Dinæ* locutus dicitur Gen. XXXIV, 3. Josephus ad fratrum Gen. L, 21. Levita ad conjugis perfidæ Jud. XIX, 3. Boasus ad Ruthæ cor Ruth. II, 13. locuti esse dicuntur. Hæc loca facile communem phrasedis explanationem admittunt, loqui ad cor alicujus, esse *παράμυθῆσαι ἢ παρηγοεῖν, consolari* (a). Sed sunt alia loca, quibus ea expositio non ita convenit. Ita 2 Sam. XIX, 8. Joabus Davidi post cæsum Absalomum auctor est, *ut prodeat & loquatur ad populi cor*. In illis circumstantiis, loqui ad cor populi, erat loqui ea, quæ populus expectabat post reportatam victoriam. Sperabant ab rege suo se humaniter atque hilariter exceptum iri, & sinceram atque integram fore illius diei lætitiã. Locuturus erat ad cor eorum Davides, si præstitæ operæ gratias ageret, si fortitudinem ac fidelitatem eorum publice commendaret. Sic Hiskias 2 Paralip. XXX, 22. Pascha agens in publica omnium lætitiã *ad cor Levitarum locutus est*, h. e. jam per se lætos non consolatus est demum (hoc plane alienum est ab hoc loco) sed cohortatus est, & approbata industria ipsorum, in memoriam revocato beneplacito Divino, ad sua ministeria obeunda fecit alacriores. Idem Hiskias, cap. seq. XXXII, 6. *ad cor ducum* bellicorum dicitur *locutus*, hoc est, addebat ipsis animum ut metum ponerent, ac viros sese contra Senacheribum præstarent. Ex his exemplis efficitur, ut loqui ad cor non tantum sit levare animum, liberare a metu, eximere sollicitudinem; sed generalius: loqui

A 3

ca

(a) Ita B. SAL. GLASSIUS, *Rhet. Sc. ev. l. c. 14.*

ea quæ grata, delectabilia, auditu jucunda, desiderii audientium congruentia sunt (b).

§. IV. Vis hujus phraseos multo significantior est ex eo, quod DEVS ipse ad cor hominum dicitur loqui; nam priora illa humana tantum exempla fuerunt, petita ex medio fere usu vitæ quotidianæ. Existat locus Hose. II, 16. (vel 14). *Ecce ego persuasurus sum illi, & ducam eam in desertum, ET LOQUAR AD COR EJUS.* Non opus est ad nostrum institutum explicatione totius sententiæ, quæ insignem continet promissionem. Sufficit nobis, in postremo inciso DEVM polliceri, se Israël talia per divina sua alloquia patefacturum, quæ desiderii atque statui illius populi essent convenientia, & quidem perfectissime. Adjungitur effectus loquelæ hujus maxime salutaris, ingens nempe mutatio spiritalis, per quam infidelitatis suæ pœnitentia ductus populus ad DEVM fit rediturus, ipsumque ut suum antiquo amore culturus. Hæc de loquelæ ad cor effectu bene observata aliquid ulterius addunt ad verum hujus formulæ sensum plenius pernosendum. Nempe loqui ad cor est 1. ira loqui ut animus intime afficiatur, 2. per talia, quæ desiderii animi convenientia sint, idque 3. cum effectu notabili, in magna animi mutatione conspicuo.

§. V. Nihil magis hanc explicationem confirmat atque illustrat, quam *exempla* primorum Novi Testamenti Doctorum, ad quos Prophetiam Esajæ c. XL. proxime pertinere §. I. tanquam alibi probatum sumus. Joannes Baptista præconio suo totam ciebat Judæam, idque obtinebat, ut ab omnibus pro vero Propheta haberetur. Hoc erat ad cor loqui. CHRISTI Domini doctrina multo majorem efficaciam exerebat. Loca Evangelistarum allegare opus non est; sufficit vel unicum Petri dictum, quo Christum *verba vitæ æternæ habere* professus est Joh. VI. 68. Similia & de Apostolis Acta testantur

(b) Postrema hæc verba VITRINGÆ sunt, *Comm. ad Esa. XL, 1, 2.*

rum; vid. cap. II, 37. XVI, 14. & de Felice Act. XXIV, 25. Ex horum exemplorum consideratione id porro patet, præter tres notas §. IV. recensitas, formulam loqui ad cor cum hac quoque determinatione accipiendam esse, ut sit *loqui veritates divinas ad cor*, idque *cum salutari effectu*, si non semper completo, minimum inchoato, qualis in Felice conspicitur.

§. VI. Nunc igitur plene atque determinate constituere licet, quæ & qualis significatio sit huic formulæ nostræ subiecta. Loqui ad cor est loqui & proferre veritates divinitus revelatas seu verbum DEI, idque ita proferre, ut animus intente afficiatur, ut illud tanquam sibi conveniens libens admittat, ut consequatur salutaris effectus. Formulæ idem fere dicentes sunt: Christum prædicare DEI potentiam ac DEI sapientiam 1 Cor. I, 24. præconium in demonstratione Spiritus & potentæ 1 Cor. II, 4. manifestatione veritatis commendare se ipsum ad omnem conscientiam hominum 2 Cor. IV, 2. evangelium prædicare non in verbo solum, sed etiam in virtute, & in Spiritu Sancto, & in certitudine multa 1 Thess. I, 5. conf. c. II, 13. attendentem sibi ipsi atque doctrinæ, & se ipsum & eos qui loquentem audiunt servare 1 Tim. IV, 16.

§. VII. Dixi, ab eo, qui ad cor loquitur, *animum affici intime*. Id non eo accipi debet, quasi in affectibus commovendis omnia opera aut præcipua ponenda sit. Nam affectus non sunt in intimis animi; hinc etiam effectum aut nullum, aut brevem, cum quiescunt, relinquunt in animo; & possunt per artificia quædam oratoria etiam in re non seria commoveri. Illa intima animi affectio magis in sensu consistit, quo ille qui verbum Divinum audit ac percipit, sentit aliquid omni humana vi superius, cui repugnare non potest. (c)

Potest

(c) Hoc modo afficiebantur illi ministri, qui manus Christo afferre iussi, cum loquentem audivissent re infecta redierunt, ac testati sunt, *naminim unquam hominem sic locutum esse, uti hic homo Jo. VII, 46;*

Potest talis convictio intima cum affectu esse conjuncta ; sed potest etiam affectus omnis abesse : in affectu certe id non consistit, quod per formulam *loqui ad cor* significatur.

§. VIII. Dixi, eum ad cujus cor loquimur, veritates Divinas tanquam sibi *convenientes* lubentem admittere. Nempe hoc habent Divinæ veritates, ut indigentia animi nostri, sive sentiantur & agnoscatur, sive non sentiantur, aut etiam si omnino negligatur, tamen respondeant, & aliquid quod ei satisfacere queat offerant. Jam si Divina ad cor dicuntur, sentiet alter, per ea, quæ audit, aliquid in animo suo vacuum (fas sit ita loqui) expleri; cujus generis est, exempli gratia, ignorantia, dubitatio, sollicitudo, ægritudo aliqua occulta; qualia infinita sunt. (d) Sentit igitur, ea, quæ audit, convenire sibi, & necessaria, aut certe valde utilia atque omnino optabilia esse; sentit, aliquid habere has veritates, ut hominem ipsum sibi ostendant, qualis est, ut vel occultissima in lucem protrahant, quæ ipse de se ignorabat, offensa autem non potest non in se agnoscere. Hinc aliquam erga veritates divinas animi lubentiam etiam in iis verbum Divinum ad tempus efficit, qui ceteroquin veritati non obtemperant, ac motibus illis deinceps malitiose resistunt. (e) Patet igitur, qui ad cor loquitur, eo minimum apud audientem rem perducere, ut ipsi, velit nolit, profiteatur sive dissimulet, in intimis animi constet, ea quæ audit, esse *πιστὸν λόγον καὶ πίστης ἀποδοχῆς ἄξιον*, *fidem* ac verissimum *sermonem*, atque adeo sive actu recipiatur sive non, *dignum* certe *qui recipiatur* ab omnibus. 1 Tim. I, 15. (f)

§. IX.

- (d) Præclarum est exemplum Joh. XVI, 29, 30, add. Act. XV, 31.
 (e) Testatur Herodis exemplum, qui quantumvis malus Joannem Baptistam magni faciebat ob sanctitatem vitæ, & ἰδέσθῃς αὐτῆς ἤθευε suaviter & cum prolubio animi loquentem audiebat Marc. VI, 20. quo modo etiam Judæi increduli licet, tamen lætabantur ad tempus in luce ejus Joh. V, 35.
 (f) Huc pertinet quod 1 Cor XIV, 24, 25. legitur; quo nihil potest esse illustrius ad agnoscendam vim veritatum Divinarum.

§. IX. Quæ denique de effectu salutari locutionis ad cor addidi, ea ex modo dictis lucem capiunt. *Nunquam* loquela ad cor *sine effectu* manet. Si non semper conspicuus est, non ideo existimandum erit, nullum esse. Multa latent in corde humano, quæ multo post tempore demum apparent; aliqua, vel potius longe plurima, patescent demum magno illo die, quo occulta hominum DEVS judicabit. Sed *num effectus ille semper salutaris sit?* dubitari possit. *Non semper* salutaris est, ipso *eventu*; hoc multa in Evangelistis & Actibus exempla incredulorum, convictioni, qua pulsati erant, malitiose repugnantium, ostendunt. Sed *semper* effectus ille convictionis *quoad intentionem* tamen DEI salutaris est (g); immo etiam *formaliter* salutaris dici debet, quia Gratia illa præveniens est veri nominis *Gratia*, & *salutis* in homine converendo *initium* semper ab eo fit, quod animus verbo DEI intime tangitur. (h)

§. X. Hæc de Phraeos sensu, quid sit loqui ad cor. Nunc videamus *de modo*. Quæritur quid observandum fit ei, qui ad cor hominum loqui debeat? Existimo solutionem hujus Problematis in ipsa notione loquelæ ad cor, quam ex sacris Litteris supra §. VI. dedimus, contineri maximam partem. Loqui ad cor est propositis veritatibus Divinis animos intime afficere cum salutari effectu. Jam veritates Divinæ in se ipsis divinam habent efficaciam ad animum intime afficiendum, & ad salvandos homines. Modo ergo veritates hæc proponantur hominibus, effectus ille salutaris non deerit,
 B
 mini-

(g) Ita Dominus noster Jo. V, 34. *hec dico ut Vos salvemini*, ad perverces in sua incredulitate Judæos dixit.

(h) Hinc talibus etiam regnum DEI prope adfuisse dicitur Luc. X, 11, & Paulus Apostolus *evadiev xeris*, bonum & fragrantem cognitionis Christi odorem etiam in illis, qui pereunt, Evangelio tribuit 2 Cor. II, 15.

minimum quoad salutis initium. (§. V.) Hoc ergo primum præceptum est & summa omnium eorum quæ dici possunt : loquere verbum DEI (i) ; ita simul & hoc obtinebis, ut loquaris ad cor hominum.

§. XI. Sunt tamen aliquæ cautiones, quas ipsa hujus negotii natura, & experientia, & Sacra Scriptura suppeditant, quas observasse utile fuerit. Revocari possunt ad pauca quædam velut summa capita : ad materiam sive res dicendas ; ad formam seu methodum in dicendo ; ad Objectum personale seu homines cum quibus agendum est ; & ad conditionem Subjecti sive ad dispositiones quasdam, quæ in loquente requiruntur. De singulis pauca, sed necessaria dicemus.

§. XII. De materia sive de rebus dicendis tenendum, omne verbum DEI & solum debere proponi. *Omne* inquam. Nam veritates revelatæ nexum inter se habent, ut si una aut altera demta sit, non amplius ipsis sua constet integritas. Et revelatæ sunt ad salutem. Quid autem abesse possit, ut finis ille salutis nihilominus per veritates reliquas obtineatur, id definire non penes homines est, & si quis audeat, oppido temerarium erit. (k) Nostrum est, quod DEVS ad usum

(i) Hoc ipsum totidem fere verbis Petrus præcipit, 1 Ep. IV, 11.

(k) Insigne hic est Pauli Exemplum Act, XX, 27. *Nilil subtraxi*, inquit, *quo minus annunciarem vobis OMNE consilium DEI.* Idem *πασαν γραφην*, omnem Scripturam commendat 2 Tim, III, 15. 16. Pulcherrima est sententia Esajæ c. III, 12, qua contrarium huic officio vitium dicit *deglutire viam qua incedendum sit* ; h. e. doctrinam salutarem non proferre, aliquam ejus partem reticere. Hoc non uno modo contingit. Fieri potest per negligentiam & ignorantiam, cum qui veritates Divinas integras proferre deberent, se in iis investigandis, in scrutinio Sacræ Scripturæ, non satis diligenter exercent ; per superbiam animi, cum hæc

nimis

usus salutares dedit, id retinere, prout datum est, integrum; Nihil addere, nihil demere. Porro *solum* verbum DEI ad cor dicendum est. Nam alia, humana, quamlibet egregia, & vera, & ad alios forte fines & in alio genere utilissima, hanc tamen efficaciam corda intime afficientem, & illuminantem ac sanctificantem non habent, nec possunt habere; & adjuncta vel admixta verbo Divino, hujus effectum salutarem potius impediunt. (l) Quid igitur fieri demum, si vana humani ingenii commenta, si præjudicia, si errores admisceantur. (m) Non opus habet verbum DEI, ut suppleatur, aut corrigatur, aut in formam magis rationabilem redigatur, aut confirmetur etiam argumentis in subsidium velut, aliunde quam ex ipso verbo DEI, advocatis. Nam sua luce radiat, & per se solum non tantum efficax est, sed etiam ad plenum salutis effectum producendum sufficiens. Unde nec est cur Verbi Minister illud erubescere debeat. (n)

B 2

§. XIII.

nimis humilia videntur; per conscientie etiam statum, quæ illas veritates non audet attingere, quarum commemoratione quis se ipsum damnaret. Quod publicam attinet doctrinam, merito hic cogitamus de Antinomismo, cui errori si Theologi nostri non contradixissent, quoties caput efferre voluit, fecissent contra officium. Formam enim *ἰσοτύπωσιν* Sanorum verborum oportet *ἔχειν* tenere 2 Tim. I. 13. & doctrinæ æque, ac sibi ipsi, invigilare 1 Tim. IV, 16.

(l) Hoc modo crucem Christi *κενῶσθαι*, inane reddi, emphatice Paulus scribit 1 Cor. I, 17. h. e. effici, ut evangelium crucis Christi effectum salutarem non habeat in audientibus.

(m) Hoc *καπηλέειν* adulterare verbum DEI & *δολῆν* falsare, corrumpere, Apostolus dicit, idque ab officio suo alienum esse testatur 2 Cor. II, 17. & IV, 2.

(n) Vid. Rom. I, 16. 2. Tim. I, 8.

14

§. XIII. Quæritur hac occasione, an Ministrum Ecclesiæ qui potissimum ac proprie Evangelium, verbum salutis atque solatii, debet annunciare, etiam loqui deceat de comminationibus, de pœnis, de judicio ultimo, de æterna damnatione? Nihil ambigendum censeo, quin id non modo liceat, sed expediat quoque, immo oporteat. Nam illæ veritates, quæ metum animis injiciunt, dum securitatem excutiunt, non minus exserunt efficaciam suam salutarem; & ab ipso etiam Christo Domino & Apostolis ad hunc finem adhibitæ sunt (o). Christus *væ* illud tristissimum sæpè pronuntiavit in malos; Vid. Matth. XI, 21. sq. XXIII, 13. sq. sed idem etiam ipsos discipulos suos, ut adversus timorem hominum muniret, ad timorem DEI, judicis, potestatem damnationis æternæ habentis, revocavit Matth. X, 28. Apostoli cum primariis Evangelii veritatibus illam de judicio universali conjunxerunt Act. III, 19. 20. X, 42. 43. XVII, 30. 31. (p) Et Apocalypsis Domini Jesu contra periculum seductionis a falso Propheta imminens tanquam remedium prophylacticum apud ipsos etiam bonos adhibet comminationem, qua nulla alia severior exstat in Sacris Litteris. c. XIV, 9. 10. 11.

§. XIV.

- (o) Quo minus dubii relinquatur, observandum, Paulum discrete profiteri, hoc ipsum esse partem methodi suæ, quam in obeundo munere sequatur. *Scientes igitur*, inquit, *timorem Domini* (quem omnia omnium facta judicaturum antea dixerat) *hominibus persuademus. DEO autem manifesti sumus.* Profiteretur se intime affectum sensu timoris DEI ac judicii ejus, & statim duplicem usum commemorat hujus timoris. Primus est, ut hoc argumento apud alios quoque eum successu utatur; Alter, ut inspectionis Divinæ in omnem vitæ suæ actum nunquam immemor sit, ac DEVM sibi præsentem, omnia videntem, omnia judicaturum, jugiter cogitet. Præclarum exemplum illius officii, quo, quæ alios docemus, ad nos ipsos continuo referre debemus. Hoc est duplex illud *ἐπιπέτυον*, tum doctrinæ, tum sibi ipsi; commendatum 1 Tim. IV, 16.
- (p) Quæntæ id efficaciæ fuerit, vel Felicis exemplo constat, Act. XXIV, 25.

§. XIV. De forma seu metodo, qua utendum sit, ut ad cor cum effectu salutari loquamur; illud omnium tutissimum judico, ut Scripturam ducem sequamur. Non tantum EX Scriptura, sed plane CUM Scriptura loquendum; ita, ut formulæ ac verba in eloquendo, argumenta in probando, in persuadendo motiva, omnia divina & scripturaria sint; ut in connectendis veritatibus ille potissimum ordo teneatur, quem Sacra habet Scriptura; nec non ut attendamus ad ipsam methodum ejus, eamque imitemur quoad fieri potest. Dabo unam alteramve stricturam. Scriptura semper loquitur *applicata*; non proponit sua ad speculandum; non ad occupandam curiositatem, non ut sciantur tantum, sed ad magis serios usus (q). Quodsi eodem modo de quibusvis rebus Divinis dices, *sensiet alter ad se pertinere* quæ audit, & interesse sua, ut audiat cum obsequio veritati, cum primum agnita est, ocyus præstito: dices igitur ad cor.

B. 13

§. XV.

(q) Exempla seriæ hujusmodi in dicendo gravitatis sunt, quod Scriptura semper omnia refert ad DEVM, ejus Majestatem, Regimen, Jura, Beneficia; ad Christum auctorem salutis, fontem gratiæ, Caput Ecclesiæ, Dominum universi; ad Opus Gratiæ Spiritus Sancti, atque adeo ad ipsam Conscientiam prout DEO subdita est; ad spem salutis; ad nexum temporis præsentis cum futura æternitate; ad hominis omnimodam a DEO dependentiam, sine qua subordinatione nec sapiens, nec bonus, nec felix esse, nec quidquam valere queat. Hi respectus universi tendunt ad cor, & quo magis meditati, atque animo familiares sunt, eo magis perficietur facultas ad cor loquendi quicquid veritatum divinarum proponendum fuerit. Addo unicum specialius, idque magni momenti. Verbum DEI adeo presse & applicata agit cum corde humano, ut sit *κρητικὸν ἐνδου-
μνησῶν καὶ ἐννοῶν καρδίας*, ut intentiones in corde, agitatae, immo multo interiora, ipsas notiones in corde hærentes, judicet, Ebr. IV, 12. Et hoc in usus nostros convertemus, si characteres conversionis & fidei veræ, discrimen honestatis mere civilis & veræ coram DEO justitiæ, & quæ eo pertinent, e Sacris Litteris collecta habeamus in numerato. Dabunt facultatem, quavis occasione, & in quolibet argumento, notas non fallaces adferendi, quæ apud audientes hypocriti detrahant personam, & sui ipsorum deceptioni caveant aut medeantur.

§. XV. Eadem Scriptura *fecunditatem* habet in methodo sua. Multa compendio dicit, & tamen in illa brevitate satis dicit. Suppeditat generaliora, e quibus deinde specialiora per se consequantur, modo fidei praxis accedat. (r) Multa non explicata relinquit, evolvenda deinceps in corde per experientiam spiritualem: nam hanc semper in lectoribus suis aut supponit aut poscit. (s) Multa præcipit, quæ quorsum pertineant sub ipso demum usu patet. Qui igitur hac parte methodi Scripturariæ gnari sunt, ii multa habebunt, per quæ ad cor audientium pertingant; talia prolaturi, quæ novis semper ac novis modis sub ipso usu vim suam in animo explicabunt.

§. XVI. Etiam hic Scripturæ mos est, ut alias veritates *magis* quam alias *inculcet*; de nonnullis loquatur *frequentius*; nonnullas *latius* exponat; alias *strictim* attingat; quasdam *innuat* tantum. Qui imitabitur hunc *delectum*, quum ad cor alterius loqui volet, is experietur *successum* expectatione majorem. (t)

§. XVII.

(r) Talia sunt generalia illa axiomata: *Omnia fiant in nomine Christi; omnia in charitate, nihil per contentiones, aut per superbiam; omnia decanter & ordine*; ac multa similia.

(s) Vid. Joh. VII. 17.

(t) e. g. Sententia illa; *DEUS dabit cuique secundum opera sua*, plus decies *κατὰ ψῆδόν* in Sacris Litteris legitur. Hoc non existimari potest fortuitum. Post doctrinam de Christo, nulla magis necessaria, nulla efficacior veritas est. Adde aliud exemplum. Quotusquisque lectorum S. Scripturæ crederet, *doctrinam de fide* toties exhiberi in Sacris, vel potius per univ. Scripturæ Systema *regnare*, si longa illa inductione exemplorum Ebr. c. XI. careremus. Sed illa ipsa longa recensio *varios alios usus* habet: exemplum præbet, quo animo, qua attentione *legendæ*

§. XVII. Postquam vidimus *quid* sit dicendum §. XII. & *quomodo* §. XIV. addendum porro est, etiam rationem habendam esse *eorum ad quos loquimur*. Atque hic varia statim se offerunt, unde pateat, arduam valde provinciam ei esse impositam, qui debeat loqui ad cor hominum. *Prima* difficultas est, quod cor humanum a DEO aversum & malum, & ad veritates salutares, ad Evangelium de Jesu Christo percipiendum ineptum est. Quomodo ergo sperari potest verbum Dei admissum iri & quidem lubenter (u). *Secundo* nulla prudentia, nulla perspicacia humana sufficit pervestigando & cognoscendo cordi humano. Qui igitur fieri potest, ut orationem tuam ad statum cordis accommodes? *Tertio*, quod ad singulos attinet, infinita fere est animorum varietas, atque in cœtu non valde numerofo aderunt auditores ingenio, moribus, ætatibus, studiis, fortunis, vitæ genere diversissimi; erunt ignari, rudes, securi, salutis suæ incuriosi, vitiis obruti; erunt notitia rerum divinarum, fide, caritate præditi, qui profectum in pietate desiderant, qui recto sunt corde; erunt alii ab his omnibus destituti, ac præterea verbum veritatis Divinæ fastidientes; alii languentes, curis distracti, affectibus iræ, odii, vindictæ &c. agitati; tentati, vario genere calamitatum afflicti, hoc illo dubio vexati, anxii; aderunt dociles, cupidi veritatis divinæ, sed & indociles, refractarii, perveraces, præjudiciis occupari, erroribus imbuti, consuetudinibus pravis constricti: & quis omnia

enume-
genda sint Sacræ Litteræ; quid sibi velit illa Scripturæ methodus, dum pleraque docet per exempla atque narrationes; & quid sit, atque quid profit, verba sacra non tantum συντηρεῖν, observare attente, sed etiam συμβάλλειν, conferre in unum, & inter se comparare sollerter, Luc. II, 19.

(u) Atque hoc tamen supra §. VIII. ad loquelam ad cor pertinere diximus.



enumeret. Atque his omnibus in ista infinita varietate ille unus quomodo sufficere poterit.

§. XVIII. Respondemus *ad primum* : difficultatem hanc non tantum minui, sed plane evanescere, si cogitemus de divina verbi Divini efficacia. Hæc præveniendo ac pulsando tollit naturalem illam ineptitudinem & aversionem. Sic Lydia cor DEVS aperuit, ut attenderet Pauli sermonibus, Act. XVI, 14. Sic apud Hoseam c. II, 16. DEVS primo persuasionem suam Divinam ponit, dein ei loquelam ad cor demum subjungit. (x) Nostri igitur officii, qui ad cor loqui debeamus, id tantum est, videre, ne quid in nobis sit, quod impediatur, quo minus ille scopus possit attingi; ceterum loqui ex sinceritate, tanquam ex DEO, coram DEO, in Christo (2 Cor. II, 17.); reliqua eventui sub Divino regimine committere.

§. XIX. Idem fere ad *secundam* difficultatem dicendum. Verbum Divinum ipsum in se aptum est cordi humano afficiendo, penetrando, illuminando, convertendo, sanctificando, eique usui ipsum per se sufficit. Hinc nobis illo profundo scrutinio intimorum cordis humani, per quod nempe dirigamus deinde operam nostram, non opus est. (y) Quin potius

(x) *Perfusione assensus et obedientia efficitur: sicque loquela super cor apte sequitur*, CORDE NON AMPLIUS REFRAGANTE. Verba sunt Ven. Do. PHIL. DAV. BURKII *Gnom. ad b. l.*

(y) Vereor ut veram docendi verbi Divini viam ingrediamur, si nostræ hic industriæ aut deliberationi, ne dicam artificii aut regulis, multum tribuamus. Neque enim ipsum Gratiæ opus in corde, neque instrumentum ejus Divinum, veritates verbi DEI, ita comparatae sunt, ut eas possimus ad calculum revocare & velut *γυμνασιον*, quo scilicet deinde

potius si quisque pro facultate & pro mensura gratiæ *ipsum* DEI verbum, idque *totum* in sua integritate, & *solum* in sua sinceritate tanquam ex DEO, sub ductu Spiritus Sancti, & coram DEO, & applicatè proponat; effectus salutares, convictionis & eorum, quæ convictionem porro sequuntur, non deerunt.

§. XX. Tertia difficultas §. XVII. fuit de infinita animorum varietate; & sanè nihil magis ostendit, quam arduum sit loqui ad cor. (z) Sed *primo* multum facit ad minuendam hanc
C diffi-

inde nostra verba de rebus Divinis eodem inflectere atque accommodare possimus. Quo plus hac parte deliberationis, artis, industriæ imperdatur fortasse, eo plus verendum est, ne magis magisque recedatur ab ipso corde, ab indole verbi Divini, & operis gratiæ, & regni DEI in universum. Veniunt mihi hac occasione in mentem fata artium & scientiarum. Quot exempla sunt, ubi sub cura, culturæ & perfectioni earum adhibita, natura ipsa amissa fuit, & utilitas omnis propemodum periiit: ut post non unius Seculi labores præclare agi Sapientes censerent, si modo, omissis tantisper illo apparatu specioso magis quam utili, redire ad naturam ipsam & ad nativam ejus simplicitatem liceret. Ita, ut in nostro maneamus argumento, qui verba pro arbitrio suo combinare, sejungere, variis modis ordinare instituerit, ei facile continget, ut id faciat neglecto intuitu rei ipsius; atque tum ne quidem in rebus humanis ac mere naturalibus, satis cavebit, quo minus loquatur *δύσκαπη βία* (quod Apostoli in alia re verbum est Act. XX, 30.) hoc est talia, quæ naturæ non consentanea sint, quæ ob affectationem & coactionem rebus illatam impedimento potius sint quam adjumento, tum in cognoscendo, tum in loquendo, tum in agendo. Quid non erit timendum, si tale quid conemur in rebus Divinis ac Spiritualibus.

(z) Exstat Oratio B. D. JOACH. JUSTI BREITHAUPTII de homilæicis diffinitiva.

difficultatem, si Minister Ecclesiæ statum auditorii generatim, & singulorum, etiam, quoad fieri potest, habeat perspectum: qua de re utilissima præcipiuntur in *Theologia Pastoralis*. Quoniam tamen ad plane tollendam difficultatem hæc non sufficiunt, quia intima cordium, cognito licet statu externo, non parent, & ad ea tamen pertingere sermo debet: Hinc *secundo* ad ea, quæ modo dicta sunt, etiam hic recurrendum esse censemus. Opera danda ut *verbum DEI* proponatur, idque *sincerum*, & quoad fieri potest *integrum*. (a) Illius enim Vis salutaris tam late patet, ut non modo singulorum, sed etiam universonum in magno aliquo cætu necessitatibus abunde suffi-

scultabilis Kilonii 1684. habita, quæ plena Salis Spiritualis est, atque hoc ipsum, ut multa alia, graviter urget.

(a) Integrum? inquis. Quis hoc intra horulæ spatium possit? Largior non semper explicite omnia posse commemorari, quæ ad salutem nostram pertinent; sed possunt tamen etiam specialiora ita tractari, ut in ipsa tractatione ad integrum veritatum salutarium nexum habeatur respectus. Verum & sapiens consilium est eorum Theologorum, qui monent, operam dandam esse, ut in quovis sacro sermone *Ordo Salutis* animis auditorum occurrat. Id B. AUG. HERM. FRANCKIUS simpliciter quidem, pro inaffectato suo candore, sed sapienter ita extulit, qui de rebus sacris verba faciunt, eos rem suam ita semper instituere debere, ut quilibet auditorum, qui quidem attendat, percipiat solutionem *magni huius PROBLEMATIS*: *Quid mihi agendum est ut salver?* & quidem solutionem talem, quæ sufficere possit, si vel maxime plura audiendi nulla forte alia occasio ei amplius obtineat. V. *Sendschreiben vom erbaulichen Predigen*, in *Collectione* *Im. DN. D. WALCH* *I von der Göttesgestaltigen Art zu predigen* p. 49. 50. Quid ex parte loquentis ad hoc præstandum conducere possit, mox §. XXI. dicemus. Facit huc quoque observatio fecunditatis Scripturariæ, de qua supra §. XV.

sufficiat, sicut unius solis lumen & calor producendis tam variis effectibus. Addimus *tertio*, plurimum etiam situm esse in directione Divina. Huic qui subest, qui se ei assiduis precibus, suae diffusis prudentiae, commendat, & abnegata propria voluntate se ei permittit, atque conscientia accurate custodita non subtrahit, is in specialioribus etiam circumstantiis auditorum, ignoratis licet, non deest ipsorum necessitatibus. (b)

§. XXI. Consequitur ex haecenus dictis, in modo loquendi ad cor, & in facultate hujus magnae rei, multa redire ad *dispositiones*, quae adesse in eo debent, qui velit ad cor loqui. 1.) Loqui ad cor est Veritates Divinas, Verbum DEI loqui ad cor. §. V. Postulat ergo hominem, qui cognoscat non modo, sed qui possideat etiam intra se veritatem salutarem (c). 2.) Postulat talem, qui non tantum ex Scriptura sed plane cum Scriptura loquatur (d); qui potens adeo in

C 2

Scri

(b) Egregie AUGUSTINUS de *Doctrina Christiana L. IV. c. 15.* allegatus in laudata *Orat. B. BREITHAUPTII* p. B. 3. (Item in ejusdem *Institutione Hermeneutica & Homiletica §. 50. Tomo III. Institut. Theol. p. 582.*) *Quis novit, quid ad praesens tempus vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? Et quis facit, ut quod oportet dicatur a nobis, nisi in cujus manu sunt & nos & sermones nostri.*

(c) Hoc diferte Petrus 1 Ep. IV. 11. *Si quis loquitur, inquit, tanquam verbum DEI loquatur. Christus Dominus bonum hominem dicit bona proferre ex bono thesauro; cujuslibet os loqui ex abundantia cordis, Matth. XII, 34. 35. conf. XIII, 52.*

(d) Inexhaustae utilitatis thesaurus in Sacris litteris reconditus est, Ad praesen-

Scripturis & in iis exercitatus, ac plane *ἐν τῇ φωνῇ*, innutritus sit. 1 Tim. IV, 6. (e) 3.) De integritate veritatum Divinarum retinenda & sequenda quæ diximus, is demum recte præstabit, qui Ordinem Salutis, exercitio penitentiae ac fidei animatum, ipse animo comprehendit. Ei facile erit, quicquid eo pertinet, in omni sermone ante oculos habere, atque ex eo intuitu sermoni suo debitam illam integritatem & plenitudinem conciliare. (f) 4.) Plane huc pertinet il-
 lud

præsentem Scopum inprimis id pertinet, ut præter veritates ipsas, præter formulas quibus utitur, attendatur ad methodum, ad delectum quem observat, ad exempla, v. g. Joannis Baptistæ, Christi Domini, Apostolorum; ad sermones ipsorum; ad exempla etiam V. T. Cujus generis observationum insigne specimen ex Esajæ, c. XL-LXVI. dedit *Ven. DN. FRID. CHR. OETINGER*, in libello: *Etwas ganzes vom Evangelio*.

(e) Scrutinium intelligo Scripturæ conjunctum cum respectu perpetuo ad nos ipsos & ad Conscientiam nostram. *Conscientiam VIGILEM* in causa simillima scite appellavit JO. COCCEJUS *Summ. Theol. c. VI. §. 27*. Qui hoc modo scrutantur Scripturas, experientiam nanciscuntur, & cum ea judicium Spirituale. Expertis facile est, cum ad dicendum se comparant, per varios illos animi status, ac phaenomena Vitæ Spiritualis, cogitationes suas circumferre, atque ita citra anxiam curam reperire, quid sit dicendum & quomodo. Quæ enim nobis profuerunt, quæ veterum securitatis excutiunt, quæ nos convincunt, movent, tranquilant, quæ contra acediam calcar, contra tentationes robur, contra timorem animum addunt, ea, quin & aliis eodem modo profutura sint, non est quod dubitemus. Idem qui nos per verbum docuit Spiritus etiam auditoribus dabitur.

(f) Hanc methodum, theologiam inter continua fidei exercitia addiscendi,
 loco

Iud Paulinum : *Credimus ; IDEO loquimur.* 2 Cor. IV, 13. & illud : *Amor Christi constringit nos.* c. V, 14. Spiritus fidei, amoris ac timoris Divini, Zelus pro Christo, sensus commiserationis erga tot animas pereuntes, non patietur frigide rem tantam agi. Denique 5.) non uno loco vidimus, qui ad cor loqui debeat, ita ut decet, eum carere non posse Divino regimine. Hoc postulat animum sibi ipsi invigilantem, Disciplinæ Spiritus Sancti adfuetum, ad eam attentum, docilem, abnegantem propriam voluntatem, diffidentem suæ prudentiæ, ac totum DEO devotum. Spiritu igitur Sancto inhabitante gaudere, atque ad speciale DEI auxilium in quovis casu dato recurrere posse, id in Ministri Ecclesiæ adparatu præcipuum est.

§. XXII. Addimus Confectaria quædam ex hætenus dictis. 1.) Facultas ad Cor loquendi est *Charissima Divinum*. Nam constat hujusmodi actibus, quos nemo suis perficere viribus, & habet hujusmodi requisita, quæ nemo suo sibi arbitrio sumere possit. Sed 2.) *impetrari a DEO potest*, sicut alia Charismata, per preces, (g) usum mediolorum huc pertinentium.

C 3

loco non uno *Apologia Augustana Confessionis* indigitat: ac multus est in ea commendanda, post primos Confessores, LUTHERUM, MELANCHTHONEM, alios, MART. CHEMNITIUS. Qui hac methodo veritates Divinas dicit, quoties ei de illis verba erunt ad alios facienda, non poterit non talia subinde proferre, quæ alter, si modo sit Christianus, eodem modo se expertum esse meminerit, & hanc sermonis cum intimo suo sensu convenientiam cum admiratione & gaudio deprehendat. Id quod quales deinde effectus porro habiturum sit, facile potest existimari.

(g) Preces aliorum pro se acce Paulus, Apostolus licet, non contemnit ut

riuentium , (quæ in hac quoque tractatione occurrunt ,) ferium , continuatum , fidelem , humilem , ac per diligentem fui inspectionem . 3 .) *Potest ac debet hoc Charisma excoli* atque augeri (h .) . Ad quod illa omnia faciunt , quæ generatim in quibusvis Charismatis Ascetæ commendant , qualia sunt : humilitas in habendo , fidelitas in usurpando , rectitudo intentionis in exercendo , charitas in communicando , docilitas in lectione sacra (quæ tanquam lumini oleum affundat) frequentanda , in monitis admittendis , exemplis imitandis , erratis ac lapsibus fugiendis aut emendandis . 4 .) Est *Charisma necessarium* . Hujus Corollarii veritas evidens est . Pudentum est , nomen Præconis Evangelii gerere , & loqui , sed non ad cor , eoque animas auditorum cŕurientes , quibus veritas salutaris tanquam pabulum Spirituale debebatur , frustrari . Multo gravius est , loqui *διεσγαμμένα* , & molimina Gratix disturbare . Nec mirum est , tali cogravus iudicium denunciari . Jac . III , 1 .

§ . XXIII . Hic igitur finis sit : eorum qui Ministerio verbi Divini aut admoventur aut destinantur , maxime arduam esse vocationem . Religiosum & Sanctum est nomen Interpretis Voluntatis Divinæ . Beatum munus , quod Cooperarios DEI facit , (1 Cor . III , 9 .) subministrantes ea , quæ porro Spiritus Sanctus adhibeat ad homines salvandos . Sed hanc facultatem ad cor loquendi non Titulus muneris , non Officii nomen , non Stola , repente affert . Magnum opus est , quod seriam præparationem desiderat . Ea nos teneat cura , & ad Doctorem unicum Christum , atque ad fontem omnis doctrinæ salubris , ad Scripturam compellat . Hic semper erit quod agamus . *Beati sunt servi , quos DOMINUS fideles invenerit .*

CO-

ut potius expeteret assiduas , hoc ipso fine impetrandæ & augendæ facultatis loquendi ad cor . V . Eph . VI , 18 , 19 . 20 .

(h) *Αὐτὸς ἠρώπη εἰν ἡρίστω* , exquisito verbo Paulus dicit 2 Tim . I , 6 .

COROLLARIA
NE PAGELLÆ RELIQUUM VACET ADJECTA.

I.

PLane rem dixit, qui monuit, concionantem identidem meminisse debere, in medio Auditorum *adesse ipsum CHRISTUM Dominum*; eo inspectante & audiente omnia peragi.

II. Alius suasit: Cum ad meditandum accedis, cogita, hanc forte ultimam futuram concionem, quam vel tu habeas, vel aliqui certe a te audiant: atque ita vide, quid tibi agendum sit.

III. STEPH. GAUSSENUS in *Diss. de ratione concionandi* concionatoris cujusdam eloquentissimi responsum, tanquam *verum & scitum* laudat, qui *interrogatus ab amico, qua via potissimum magnos in Eloquentia Christiana progressus faceret, respondit: Si maxime ames Christum.* Dissert. Theol. p. 144.

IV. Idem Theologus rationem concionandi omnem generali hac regula complexus est: *ut quis Devotionem & Naturam sequatur.* l. c. p. 143.

V. De Devotione, (per quam pietatis ferventissimum Zelum intelligit) deinde monet, *in toto Ecclesiastico ministerio nullam partem esse, in qua devotioni non sit suum singulare pretium.* Ibid.

VI. Addit: *Quod si quis sit, qui pietatis fervorem, quem non habet, arte & industria se simulaturum speret, ne ille & devotio- nem & se ipsum ignorat.* p. 145.

VII. Multo major est pestis, si quis Defectum hunc requiriti maxime essentialis in Oratore Sacro, non tantum *palliare* velit, sed omnino *compensare* per substitutionem nescio cuius *Artis* dicendi de rebus Sacris.

VIII. *Non ars est, quæ concionatorem bonum constituat, sed gratia, & unctio Spiritus Sancti, qui habitus a DEO, ex Scripturæ usu, accipitur.* Ita B. PAULUS ANTONIUS, *Prefat. ad Elementa homiletica.*

IX. Sunt sanè regulæ, quæ externum in dicendo adminiculum præstant, eo usque, ut perspicue & ordine nostra offerre

re

re queamus: sed hæc quod Oratoris Sacri proprium est, adeo non efficiunt, ut in toto hoc negotio sint omnium minimum.

X, Veritatibus Divinis sua nativa efficacia inest. Huic efficaciæ eloquentia humana non magis addere aliquid potest, quam efficaciam remedii vasculum augeat, in quo exhibetur, si forte illud affabre elaboratum sit.

XI, Media igitur via incedendum. Non contemnendæ sunt regulæ dicendi, pro Statu præfente rei christianæ: sed sobrie adhibendæ & cum modestia.

XII, *Ven. Dn. ERN. AUG. BERTLINGIUS in Præfatione ad Partem I. Der Evangelischen Andachten / hoc ipso anno editam, ostendit, vani illius studii in præconio verbi Divini ex elegante & copiosa facundia laudem captandi, primum exemplum in Paulo Samosateno deprehendi. Hoc institutum talis auctor non valde commendat.*

XIII, Nervose GUIL. AMESUS in medulla rheologica p. 165, Dilucidius apparet Spiritus Sancti efficacia in nuda verborum simplicitate, quam in elegantia & nitore: hinc Paulus dicit se ἰδιώτην λόγῳ 2. Cor XI, 6. Si tamen polleat aliquis vi quadam dicendi externa, cum genuina simplicitate debet illam usurpare, L. I, c. 35. §. 65.

XIV, Addit §, 66, Quantum affectationis apparet, tantum perit efficacia & auctoritatis.

XV, JO. ANTONIDES van der Linden in tractatu de proprietatibus Episcopi, seu ministri verbi Divini, inter alia adfert p. 239. quod Mosis dictum est, ut calceos exuat, eo quod locus, in quo stabat, sacer sit. Hinc infert, quanto magis exuendus ac deponendus sit omnis habitus animi non sanctus Tractatori Verbi Divini, si apud se cogitet; quod tractas sacrum est, & Omnipotentis DEI verbum.

XVI, JO. WESSELUS, Groningensis Friso, qui Seculo XV. vixit. Vir plane doctissimus in omni litteratura, effatum hoc sæpe in ore habuit: Qui legens Divinas Litteras non sibi quotidie magis ac magis vilescit, & sibi ipsi displicet ac humiliatur, non frustra solum legit Divinas scripturas, verum etiam cum periculo.

XVII, Qui verbo DEI ejusque interpretatione, quantumvis subtili, suam gloriam aut commodum quoquo modo querit, illum DEVS suo etiam tempore in lucem protrahet ac publice confundet, satanaque potestati tradet: eo quod sanctum DEI nomen surpiter adeo violavit, illoque abusus fuerit. Verba sunt PHILIPPI MARNIXII, in Via Veritatis Divina, p. 178.

T A N T U M.

Fd 5611

ULB Halle
002 715 18X

3




7H 30C

VD 77

NC







DISSERTATIO
THEOLOGICA PRACTICA
DE
MODO LOQUENDI
AD COR, *2. ep. XL. 2.*

QUAM
JUVANTE DEO,
RECTORE UNIVERSITATIS
MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
JO. CAROLO LUDOVICO,
COMITE PALATINO RHENI, DUCE BAVARÆ,
COMITE VELDENTIÆ ET SPONHEMII,
rel. rel.

PRÆSIDE
CHRISTOPH. FRIDERICO
SARTORIO,

S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET PROFESSORE PUBLICO
ORDINARIO, ILLUSTRIS SEMINARIJ THEOLOGICI SUPERATTENDENTE,
FACULTATIS THEOLOGICÆ h. r. DECANO,

A. D. NOVEMB. MDCCLVI. *bd.*

DEFENDET
RESPONDENS,
THEOPHILUS FRIDERICUS MACHTOLFF,
SULZFELDENSIS,
SACROSANCTÆ THEOLOGIÆ CULTOR.

TUBINGÆ, TYPIS SCHRAMMIANIS.